



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Hic orat homo, ut ipsa quoque domus Dei oret pro eo, 20

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

quem toto affectu se tenet ; non habens futurum quod expectet : nec in prateritum transiens , quod meminerit : per nullas vices variatur, & in nulla tempora extenditur.

C A P V T X X.

*Hic orat homo , ut ipsa quoque domus Dei
oret pro eo.*

I. **O** Domus Dei luminosa, & speciosa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriae Domini Dei mei, possessoris & fabricatoris tui: Tibi suspiret peregrinatio mea nocte ac die, tibi inhiet cor meum; tibi intendat mens mea, ad societatem beatitudinis tuae pervenire desideret anima mea. Dico ei qui fecit te, ut possideat me in te, quia ipse fecit me & te. Imo tu dic, tu roga eum, ut dignum me faciat participatione gloriae tuae. Sanctam enim societatem tuam, & mirabilem pulchritudinem tuam non per meritum requiro; sed per sanguinem ejus quo redemptus sum adipisci non despero. Tantum adjuvent me merita tua, subveniant pravitati meae sanctae & purissimae orationes tuae, quae inefficaces apud Deum nullatenus esse possunt.

2. Erravi, fateor, sicut ovis perdita, & incolatus meus prolongatus est: atque procul projectus sum à facie Domini Dei mei, in hanc exilii caecitatem. Vbi expulsus à paradisi gaudiis, deploro quotidie mecum super miseras captivitatis meae lugubre carmen, ingentesque lamentationes, cum recordor
tui

tui mater Hierusalem ; dum stant pedes mei in atriis tuis sancta & decora Sion , necdum interiora tua conspicerere in propatulo valens ; sed in humeris pastoris mei , structoris tui, spero me reportari tibi ; ut tripudiem tecum illo inenarrabili gaudio , quo lætantur illi, qui tecum sunt coram ipso Deo & Salvatore nostro. Qui dissolvit inimicitias in carne sua, & pacificavit omnia quæ in cœlis sunt , & quæ in terra, sanguine suo.

3. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum. Qui duos ex adverso venientes parietes conjungens, in se beatitudinis tuæ permanentem foelicitatem, pari modo & eadem mensura se nobis daturum promisit, dicens : Erunt æquales Angelis Dei in cœlis. O Hierusalem domus Dei æterna, post Christi dilectionem, tu esto lætitia & consolatio mea ; dulcis memoria tui beati nominis sit relevatio mœroris, tædiorumque meorum.

CAPUT XXI.

Quantis amaritudinibus vita ista sit re'persa.

1. **T**ædet enim me Domine valde vitæ hujus, & istius ærumnosæ peregrinationis. Vita hæc, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superbiorum, plena miseriis & erroribus, quæ non est vita dicenda, sed mors ; in qua momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus diversis generibus mortium.

2. Nunquid ergo hoc, quod vivimus in hoc mundo, dicere possumus vitam ? quam
humores